

debant, nulli veprium vel arbustorum parcebant: pars grandia trudent obnixi pondera humeris; pars agmina cogunt, castigantq; moras: Ipse verò usquequaque libram adhibuit discretionis, operumq; laborem partibus aequabat iustis. Vetus enim inde cultus defecit, videlicet ad veteris hominis destructionem, novumque opus surrexit, ad novi hominis honorem. Et beatus vir laborem illum credidit requiem, dummodò inceptum ad summam perduceret nobilitem. Quia enim laboravit instanter, inceptum absolvere meruit eleganter. Absoluto autem opere, templum quod contruxerat, constructum Deo, ejusque Genitrici, IV. Idus Novembris dedicari fecerat. Quo dedicato, collegit illò sacrarum virginum non modicum gregem; quem Deus usque ad terminum mundi sibi custodiat fidelem.

Cap. XII. *Miraculum servati ab igne velaminis.*

Cumque grex ille dominicus angelicam vitam ageret in terris, antiquus hostis callidè intervenit. Ligatur suo nequaquam officio fungeretur, si Dei famulus nusquam adversaretur. Primò quidem castitatis sigillum eis cupiens abrumpere, nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat Arte locum, varijsque assultibus irritus urget; ed, quòd eis ipse Christus à facie inimici turris fortitudinis existeret. Sed quia non valuit intrinsecus, ille non esset hostis, si non aliquid nocuisset vel extrinsecus. Nam quædam ex ancillis Dei frigore depressa, spe recreandi, quandam mona-